

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Doctrina siue doctor t  
cum fonte primo

Hoc habet proprium doctrina arrogancium  
ut humiliter nesciant inferre que docent,  
et recta que sapiunt, eciam recte ministrare non possunt.  
In uerbis enim eorum proditur qui cum docent  
quasi in quodam sibi uidentur summitatis culmine residere,  
eosque quos docent ut longe infra se positos  
uelut in imo respiciunt quibus non consulendo loqui,  
sed uix dominando dignantur.

Gregorius libro XXIII. moralium.

Hoc enim habet proprium doctrina arrogantium  
ut humiliter nesciant inferre quod docent,  
et recta quae sapiunt recte ministrare non possint.  
In uerbis enim eorum proditur quod cum docent,  
quasi in quodam sibi uidentur summitatis culmine residere,  
eosque quos docent ut longe infra se positos  
uelut in immo respiciunt, quibus non consulendo loqui,  
sed uix dominando dignantur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 23.13  
(CCSL 143B, M. Adriaen ed., p.1161, ll.6-12).